

# ZGODOVINSKI ZBORNIK.

PRILOGA

## LJUBLJANSKEMU ŠKOFIJSKEMU LISTU.



—*Izhaja v nedoločenih obrokih.*—

Deseto leto.

Ljubljana, meseca oktobra 1897.

Številka 39.

**Libellus poematum  
sive carminum variorum generum  
Thomae Chrönn  
Labacensis Carniolani LL. Candidati.**

Po vsej pravici skušamo kar mogoče natančno spoznati in proučiti življenje mož, ki so si stekli izrednih zaslug za cerkev in domovino. Pri takih študijah pa se utegne vendar le zgoditi, da gredó raziskovalci sem ter tje predaleč v svoji natančnosti in da objavlajo dejanja in pojave iz slavljenčevega življenja, o katerih se zdi, da se ne slagajo povse z vzvišeno sliko, katero smo si ustvarili o možu, sodeč ga po njegovem delovanju za občno blaginjo.

Nekaj sličnega si utegne znabiti kdo misliti, čitajoč rokopis, katerega hočemo v nastopnem doslovno objaviti.\*)

Ne nameravamo tukaj navajati vzrokov, ki bi kazali, da

\*) Rokopis, katerega tukaj objavljamo, hrani licejalna knjižnica v Ljubljani pod štev. 84 Msc. Vezan je v rujavo usnje in ima na hrbtni napis: „*Chroenn Libellus poematum.*“ Obreza je zelena. Rokopis nima posebnega naslovnega lista. Prvo stran prvega lista zamenja z monogramom Jezusovim (IHS) in potem ima naslov: „*Libellus poematum sive carminum variorum generum Thomae Chrönn Labacensis Carniolani LL. Candidati.*“ Knjižica ima 77 listov. Prva in zadnja dva sta prazna, 73 listov je pa popisanih. Štirje nepopisani listi so v zvezi z vezavo in so za več kot dve stoletji mlajši, nego rokopis sam, ker kažejo, da je dobil rokopis svojo sedanjost vez še le tekom tega stoletja. Vodni tisk na tem papirju kaže namreč na dveh listih doprsno podobo cesarja Frančiška II. z opisom: „*Deutschlands Befreier Franz der Zweite;*“ na dveh pa kaže vodni tisk cesarski grb, okoli grba pa napis: „*Gott erhalte den Kaiser von Oestreich — 1813.*“

bi tako očitanje v našem slučaju ne bilo opravičeno. To hočemo storiti ob svojem času. Za sedaj rečemo o povodu, ki nas je privel do objave tega rokopisa, le toliko, da smo hoteli s to objavo nekoliko osvetliti mladeničko dobo preslavnega ljubljanskega škofa Tomaža Hrena; ono dobo, v kateri se je mladi Tomaž vsega posvetil modricam ter skladal svoje latinske poezije.

Daljni povod temu je iskrena želja, da zberemo polagoma vso dostopno tvarino za dostenjen in istinit životopis prezaslužnega škofa; bližnji povod pa je znamenita tristoletnica, katero v tekočem mesecu obhajamo.

Listi rokopisa so skoraj vsi enako veliki ( $20 \times 15$  cm), le dva namreč 15. in 17., sta za spoznanje večja in nerazmerno velik je 22. ( $40 \times 31$  cm), ki obsegata „*Colloquium inter serenissimos Archiduces Carolum patrem, et Ferdinandum filium recens natum, de bello Turcico ineundo.*“

Sicer je pa bukvovez, ki je vezal naš rokopis v teku tega stoletja, liste zmešal prav do dobrega. Kdor hoče čitati rokopis v izvirniku, naj si razvrsti liste tako-le: od 1. do 21. lista incl. je vse v redu, 22. list pa, ki je očividno pozneje vmes vtaknjen, moti v toliko, ker pretrga „*Distichon numerale*“, ki se na 23. listu nadaljuje; od 23. do 48. lista incl. je vse v redu, za 48. listom se morajo pa vzeti listi od 57. do 64. incl., za temi naj se preide na liste od 49. do 56. incl. in končno na liste 65. do 73. incl.

Rokopis je pisal lastnoročno Tomaž Hren sam. Pisava je velika, krepka in večinoma lahko čitati. Črnilo je v prvi polovici precej črno, v zadnji polovici pa je že bolj obledelo.

Ravno pred 300 leti, namreč na dan godu sv. Lukeža leta 1597, je izbral mladenički, še le devetnajstletni nadvojvoda Ferdinand — poznejši cesar Ferdinand II. — v nemškem Gradcu našega rojaka, tedanjega stolnega dekana ljubljanskega, Tomaža Hrena za škofa ljubljanskega. Nadvojvoda Ferdinand se je ravnal pri tem važnem koraku po želji pokojnega ljubljanskega škofa Janeza Tavčarja, kateri mu je na smrtni postelji priporočal Tomaža Hrena kot moža, najvrednejšega za ljubljansko škofovsko stolico. Tomaž Hren sam nam je ohranil ta znameniti dogodek ter je kratko zabeležil tudi čutila, ki so navdajala ob tej znameniti priliki njegovo srce, z nastopnimi besedami: „Bogu in Devici Mariji, veliki božji porodnici, bodi čast in slava! — V god sv. evangelista Lukeža sem bil od presvitlega nadvojvode Ferdinanda, svojega presvitlega gospoda, v Gradcu, v grajskem dvoru, v notranji nadvojvodovi sobi, ustmeno izvoljen in imenovan za škofa ljubljanskega. Gospod Jezus, naš zveličar in škof naših duš, brez česar pomoči je naše delo brezspečno, naj mi podeli milost svojega svetega Duha, da bi z njegovo pomočjo jaz slabí opravljal to visoko službo ter s svojim dejanjem in svojimi nauki kobilistil časti njegovega veličanstva pri dušah mnogih kristjanov, in da bi končno prejel nebeško krono, katera je obljubljena tistim, ki vstrajajo zvesto do konca. Amen.“

To molitev novega škofa je Bog tudi uslišal, kajti nova zarja je napočila s tem dnevom naši škofiji, zarja katoliškega gibanja, ki se je pod neustrašenim in neutrudljivim vodstvom škofa Tomaža Hrena prerodilo in čudovito utrdilo. Tri sto let je že zatonilo v morje večnosti in še uživamo sadove njegovega neumornega truda, še crpimo iz neusahljivega studenca katoliške resnice, za katero je zastavil slavni Hren vse svoje dušne sile. Za trdno upamo, da je naš Tomaž že davno prejel od Boga nebeško krono in obilno plačilo, ter prosimo Vsemogočnega, naj prodirajoči katoliški ideji tudi v naših dneh podeli isto moč in iste vspehe, kot ob Hrenovih časih. V nastopnem objavljeni poeziji pa naj bodo majhen kamenček za Hrenov životopis ter naj vzbudé zaslужeno zanimanje za življenje in delovanje tega našega velikega škofa.

## I.

*In natalem magnifici viri Domini Caspari Sitnik, protonotarii apostolici et comitis palatini, archiducalis consiliarii etc patrui et Mecaenatis mei. Scriptum ad foelix novi anni auspicium anno 1581.*

Jam sol emensus coeli revolubilis orbes  
Flamivomos verso cardine vertit equos  
Atque biceps reserat stridentia limina Janus  
Urnaque coelestes humida fundit aquas.

Vota novus poscit fatis urgentibus annus,  
Omnia dum rapido turbine quassa ruunt.  
Gratulor ergo tuae praedulcis avuncule sorti  
Et mea Musa novum gestit adepta decus  
Carpere te salvum vitales luminis auras,  
Leniter et vitae flectere coepita tuae.  
Inter tot gravium discrimina turbida rerum  
Euriposque vagos, praecipitasque vices  
Hinc precor, ut longos traducas molliter annos  
Et spiret rebus numinis aura tuis.  
Cumque dies redeat faustis decursibus anni,  
A cuius sacro nomine nomen habes:  
Jam quoque natalis festivo grator honori,  
Et mea mens geminis plausibus acta salit.  
Natus es arbitrio superum foelicibus astris  
Infestumque nihil stella vel ulla tulit.  
Non tibi Saturni nocuit lachrymabile sydus.  
Obstitit huic radiis Juppiter ipse suis.  
Afflavit mites volucris Cyllenius ignes  
Ingeniumque sagax, altaque dona dedit.  
Mars ferus, incursu submotus Cypridos almae  
Cessit, et infaustae conticuere minae.  
Sol quoque ferales discussit lucidus umbras  
Et micuit rutilus Luna serena comis.  
O fortunati quibus arduus annuit aether,  
Multifidumque regit, numinis instar, iter.  
Palladis accessit naturae dotibus ardor,  
Vitaque labe carens ambiguoque dolo.  
Sacra Themis, legum tibi nodos arte reclusit,  
Imponens capiti serta decora tuo.  
Invidiae non virus edax tibi damna movebit,  
Aegide Palladia spicula cuncta teres.  
Vive, valeque meis velut anchora firma Camoenis  
Et me consueto prende favore rogo.  
Illa dies semper laeto se lumine pandat  
Atque ferat coepitis prospera quaeque tuis.

## 2.

*In discessum Vienna Austriae Tubingam, lectissimorum juvenum Pauli Blo, et Stephani Galli.*

Mane erat, et nitidum Phoebus lustravit Olympum  
Ordine conjunctis quattuor actus equis.  
Luce polum rosea pinxit, terrasque jacentes,  
Insper et claris expulit astra rotis.  
Aurea splenderat croceis Aurora capillis  
Et circumfuso rore madebat humus.  
Cum mea de molli relevasse membra grabatho,  
Et peterem fontes lenesonantis aquae,  
Tum mox coeruleas sursum delapsa per auras,  
Constitit ante oculos candida Nympha meos  
Candidior nivibus, flavis decorata capillis,  
Cui vel non tonsis cedit Apollo comis.  
Hanc ego conspiciens, vultum mirabar in illa  
Collaque, cum manibus pectora tota simul.  
Dixi ego: divinus quis spiritus incolit artus?  
Talia dicentis permeat ossa pavor.

Illa sed et blando vultu solata timentem  
Et retulit placido talia verba sono:  
Excute nunc tristes, moneo, de pectore motus  
Et versu promptas permeditare vias.  
Arma resume citus, simul et tritonia tela,  
Cur tua sic somno Musa sepulta jacer?  
En duo preclari juvenes, quos maxima nostri  
Cura tenet, certum nunc iter instituunt.  
Qui studio nostrum summo coluere Lycaeum,  
Quod gremio nobis alta Vienna fovet.  
Et bene jam notum est, patrios liquisse penates,  
Quo vel in ignota nos regione colant.  
Haec mens illorum est, haec stat sententia firme,  
Hinc etenim ventis candida vela dabunt.  
Ergo age tu gelida procul hinc formidine pulsa,  
Arripias laetus, quam tibi monstro lyram.  
Et juvenum cane discessus, et itinera longa  
Prospera felici numine laeta jube.  
Haec ubi dicta suis retulisset Nympha labellis,  
Mox celeri tractu regna superna petit. —

Ergo Deae monitis, tandem mea labra resolvo,  
Nympharum, Juvenes, splendida turba, novem.  
Pergite felices (si qua prece fata levantur)  
Et laeti patria ducite ab urbe pedem.  
Ille Deus superum nutu qui concutit orbem  
Reddat iter foelix, hoc duce ferte viam.  
Hinc abeant casus, abeantque pericula cuncta,  
Vestraque supremus prosperet acta Deus.  
Ite bonis avibus, simul et per longa valete  
Tempora, quos placide culta Minerva fovet,  
Ergo valete boni fratres, dulcesque parentes,  
Et pia Musarum caetera turba vale.  
Musarum graex culte vale, atque urbs celsa Viennae,  
Jam jam discedunt, tu pie Christe fave.

## 3.

*In nuptias nobilis viri Domini Melchioris Alaude, sacrae  
Caes. Majestati a secretis spiritualibus, Reginam Schott-  
nerin viduam ducentis, Epithalamion.*

Plaudite Pierides bifidi sacra numina montis  
Laetitia ac laeto carmine signa date.  
Moerorum gelidas elegia discute nubes  
Desine purpureas imbre rigare genas.  
Inque vicem Ascreae resonent de more Camaenae  
Bellerophontaeum concilientque melos.  
Thymbraeus crines redimitus floribus adsit,  
Threiciam digitis tangat et inde chelyn.  
Huic Dryades sociae praecingite flore capillos  
Roscida flexilibus ponite serta comis.  
Ortus namque dies festivo dignus honore,  
Quo duo conjungunt foedera sacra thori.  
Quo face solemni connectit corpora lecto  
Bina, peroptate connubialis Hymen.  
Atque novis pariter, dulcissima gaudia sponsis  
Decernit celsae Diva timenda Paphi.

Quas etenim flamas tacita sub mente repostas  
Jecerat astuta penniger arte puer:  
Quaeque volatilibus tulit olim vulnera telis,  
Et pius amborum pectora laesit amor:  
Perspicis in campos nunc nunc se prodere apertos,  
Quodque prius latuit, connotat haecce dies.  
Scilicet ut taedis applaudant omnia votis,  
Numina Pegasei verticis alta sacri.  
Taedifer atque Pater, cuius Regina choruscans  
Implicita est dextrae, limina grata subit.  
Et festos celebret post vincla jugalia pacta,  
Sponsorumque animis gaudia mille vehat.  
Gratulor ergo tibi felices sponse Hymenaeos  
Optoque coniugio prospera quaeque tuo.  
Gratulor excelsis praestes quod honoribus, atque  
Consiliis suescas participare sacris.  
Gratulor eximiis quod sis virtutibus auctus,  
Nuptae piae reliquis unde placere soles.  
Sponsaque formosas inter numeranda Napaeas,  
Grator quod thalamum sit subitura tuum.  
Transigat haec tecum Pylios feliciter annos  
Seraque Cumeae saecula vatis agat.  
Hinc stirpis venient tibi fundamenta futurae  
Dulcia molliculi pignora chara thori.  
Quare consortem fausto quia sidere ducis,  
Te juvet et servet Rector ab arce poli.  
Foedera jam stabili firmet nexu socialia  
Qui probat et reprobat quaelibet acta Deus.  
Componat mentem Concordia dulcis utramque,  
Unus sit sensus, mens pia, sancta fides.  
Vivite foelices, geniali vivite lecto,  
Nec mors dissolvat quod ligat unus amor.  
Unanimes casti vos vivite turturis instar,  
Illa Sybillinos, Nestoris ille dies.

## 4.

*In natalem reverendi Domini Christophori Tut, admini-  
stratoris coenobii Erla etc.*

Cynthius octipedis transcendens brachia Cancri,  
Hac tulit aestiferos qua Leo regnat equos.  
Radit iter liquidum, niveis stansque aethere bigis  
Igne micat solito fulgidiore suo.  
Squalidus et nemorum vates secreta petebam,  
Tristia mutarem ut tempora forte loco.  
O te quid moesto movet hic dare corde querelas?  
Phoebe, quin es reliquis par quoque laetus? ais  
Huc ades, et textam Daphneide fronde coronam  
Obsequiis studio Christophoro referas.  
Rite patens cuius gaudet natalibus orbis,  
Vota chori iungens nomine Pegasei.  
Sume igitur placidus, quando lux dictitat isthaec  
Talia natali munera sume tuo.  
Viveque Nestoreos, sed non inglorius, annos  
Tuta simul donec scanderis astra. Vale.

## 5.

*In celeberrimum, et solennem actum egregii, doctrina et eruditione ornatissimi juvenis Domini Joannis Marcovitsch Ratmanstorffensis Carnioli, cum sub magnifico, nobili atque clariss. viro Domino Alexio Strauss Lab. earundem Doctore, V. J. Licienziando, Logices professore ordinario et in archigymnasio Viennensi Rectore dignissimo Doctrali in Philosophia dignitate cumularetur, observantiae et conterranei amoris ergo scriptum per me.*

Quem video ad bifidi properare cacumina montis,  
 Quem comitata simul turba novena colit?  
 Quis nunc Gorgoneis, flava adspirante Minerva,  
 Blandula deposita labra rigare vadis?  
 Et cui Threicio, niveis decorate capillis  
 Phoebe pater resonas tinnula plectra, modo?  
 Est ne aliquis qui te viridi florente iuventa,  
 Fertur et Aonias excoluisse Deas?  
 Aut cui Pierides animoso pectore Nymphas  
 Discendi studio visere cura fuit?  
 Ut jam pro vigili diademata justa labore  
 Herculeo athletae lauriger ipse feras?  
 Scilicet hoc signum est, sunt haec praesagia certa,  
 Nempe tibi juvenem conciliasse bonum.  
 Qui simul atque sacram vitae conspexerat auram  
 Se patrocinio tradidit usque tuo.  
 Ut quondam meritis altas Heliconis ad arces  
 Ire suis, gnava sedulitate queat.  
 Sed nec proposito juvenem spes vana fefellit,  
 Quod cano declarat lux hodierna satis.  
 Fundamenta rei male nec iecisse futurae  
 Constat eum. Quoniam surgere cernis opus.  
 Quod cum Daedaleo struxerunt Pallade Phoebus,  
 Cumque Latonigena plebs bene docta Deo.  
 Ergo sibi hunc primis subito labentibus annis  
 Devinxit studio diva Thalia suo.  
 Aetas quoque solet iuvenilis pingier arte,  
 Doctum, (difficili non remorante via)  
 Duxit ad irriguos Musarum sedula fontes,  
 Totaque in artifici merserat ora vado.  
 Unde cothurnato fervens sudare Maroni  
 Coepit, et assidue volvere scripta manu.  
 Et jam pastorum rauco modulamine cantus,  
 Arvaque cultu tenet, pampineasque comas:  
 Cum se Troianae produnt excidia gentis,  
 Factaque terribili Martia bella modo.  
 Quae simul admirans cupido volvensque legensque  
 Pectore: Faelices, dixit, in orbe viri,  
 Sorte quibus superas tali concendere sedes  
 Arbitrio facilis Juppiter attribuit:  
 Me quoque participem tantorum ex parte laborum  
 Reddite si datur his dexteritate frui.  
 Talia flagrabat quamvis sudore maderet,  
 Corpus et aspiceret debilitate premi.  
 Impiger incoepito motu properabat honesto,  
 Eloquio studuit cum Cicerona sequi.  
 Ut demum horrisonis verborum fluctibus haustis,  
 Pergeret ad Sophiae flumina curva sacrae.

Hic ut amans recti, quamque exagitatus amore  
 Rerum abstrusarum cognitionis erat  
 Nil referam: res est toti manifesta catervae,  
 Acris ut extiterit, grex studiose, tuae.  
 Cinxit odorata cuius cava tempora lauro  
 Pegasidum Phoebus gloria magna chori.  
 Delphicolae annuerat roseo stipata Dearum  
 Casta sodalitio, quae Jove nata soror.  
 Addidit humidulis victrici, innupta Minerva  
 Fronte coronato, talia verba labris:  
 I nunc et coptae memori vestigia mente  
 (Quamvis difficile est) fortia fige viae.  
 Candida quae croceos modo vestit laurea crines  
 Calcar Joannes sit generose tibi:  
 Altos quo intrepide discas tolerare labores  
 Grandius ac vincas quod tibi surgit opus.  
 Dixit, et in mentis condit penetralibus imis  
 Quae tulerat placido Graja diva sono.  
 Quare Heliconiadum si non fuit ante minister:  
 Bacciferas et si non satis hausit aquas:  
 Nunc ad Aristotelis magno conamine sensus  
 Fluctivagam coepit flectere sorte ratim.  
 Quae sit naturae solers prudentia rerum,  
 Indagat, cursus aetheris atque vagos:  
 Quis rerum sator, et spaciosi conditor orbis  
 Steliantisque poli, dicitur osse Sophis.  
 Quae via sit soli dum per duodenam feratur  
 Signa colorati maxima Zodiaci:  
 Quid causae veniat, niveis cur Cynthia bigis  
 Luna cruentetur: singula nosse cupit.  
 Praeterea exquirit vitae documenta probatae,  
 Quave bonos virtus sydera ad alta vehat.  
 Non aliter cumulum tantas congessit in unum  
 Divitias, quam si sedula quaerit apis  
 Herbida frondoso rident dum tempore prata  
 Mellifluos, varie sollicitata, favos.  
 Sic sic multiplici nodosa volumina discens  
 Cecropias animo conglomerabat opes.  
 Ergo tibi studio tantorum parta laborum  
 Gloria, Hamadryadum saecula longa viget.  
 Quam tibi nec fallax lugubri funere fatum  
 Extorquere potest, sera nec ulla dies.  
 Jam sudasse iuvat, gelidosque bibisse liquores  
 Quos bene Thespriadum numina magna fovet:  
 Dum tibi pennatus rutilo delapsus Olympo  
 Phoebus, Joannes gaudia mille ferat.

Quisquis es horribiles moneo ne temne labores,  
 Virtutis siquidem semita recta labor.  
 Hoc sine, crede mihi, latitares magne ferarum  
 Amphitrioniae vitor, honore carens.  
 Hoc sine bellipotens tetra oblitione sepultus  
 Hector, et extinctus nil nisi terra foret.  
 Hoc sine quod vastus gremio complectitur orbis  
 Tartarei quondam praeda Acherontis erit.

Musa sed ancipiti cursu quid longius erras?  
 Exequere officii munia iusta tui.  
 Perge igitur foelix qua te via ducit in altas  
 Virtutum sedes, nec mora tardet iter.

I nunc pictorum domicilia sancta polorum  
Scande gradu facili, et nubila densa seca.  
Callis apertus adest; hoc annuit arduus aether.  
Dum tibi Pimplaeae gaudia laeta canunt.  
Sic tua post fragilis praesens discrimina vitae  
Laus erit, et nitido fama reposta polo.

Excusum typis Stephani Creüzeri  
anno 1582.

## 6.

*In nuptiis nobilis et ornatisimi D. Danielis Schlegeri,  
sacrae Caes: Regiaeque Majestati penes cameram aulicam  
a bellicis expeditionibus sponsi: et nobilis pudicissimaeque  
Virginis Annae Mariae, nobilis et egregii viri Joannis  
Poinsot, sac. Rom. Imperii Fecialis filiae sponsae editum  
epithalamion.*

Tu mihi magne Pater concessique author amoris  
Hymen ades. (vatum si te mortalia tangunt  
Carmina, sollicitus vel vincia jugalia curas)  
Vosque novem Musae, ad Clarias quae luditis undas,  
Annuite, hisque labris sacros praebete liquores.  
Dum sacra vestra colo, dum connubialia canto  
Foedera, sponsorum et consector carmine laudes.  
Ut primum licet penetrare Cupidinis ignes  
Pectora persensit sponsus, Venerisque sagittas  
Conjugii statuit sub certa vivere lege:  
Omnia quae patulo coelum complectitur orbe,  
Edocuit, iussit venturaque saecula tenere.

Non Phrygius tali flagrabat Pastor amore  
Dum Priami tectis inferret Dorica furtæ.  
Caerula vel radens manibus ventosa Leander,  
Exitio cuius Sestaeum inclaruit aequor.  
Non Phasias, inquam, nec regno dives Elisa,  
Vel patriis funesta comis truculentaque Scylla  
Hoc caluere igni, sed quidam degener aestus  
Viscera torquebat, turpique urebat amore.

Haec igitur secum tacito dum corde volutat  
Donaque conjugii perpendit: protinus aptam  
Fert animus sociam sibi foedere iungere vitae.  
Dumque ita scrutatur passim, quam ducere possit,  
Anna Maria brevi succurrit tempore sponsa:  
Hanc amat, hanc ardet, votis hanc expetit unam.  
Annaque quid mirum parili si carpitur igni?  
Inque suo solum Schlegero lumina figit:  
Artibus edictum decorat quem candida virtus?  
Est mihi namque animus, pietas, mens conscientia recti,  
Candor, et ingenium, tua patria cognita spouse:  
Cuius ut existunt infracto robore tresses,  
Sic quos foelici Tyrnavia protulit ortu,  
Egregios virtute viros atque efficit arte.

Adde, quod et virtus tua iam per Caesaris alta  
Atria sit celebris, volitetque per ora virorum  
Undique cunctorum, quos vel placidissima morum  
Forma tibi iunxit, notos vel fecit honestas.  
Haec fuerat, thalamo quod virgo Maria pudico

Sponsa recens, humili veniat non edita stirpe  
Causa tuo, haec aetus irritamenta probati.

Sed nec laudis inops, grati vel honoris egena  
Sponsa manet: cuius si forsan splendida nostris  
Jam foret incultis Virtus dicenda Camaenis  
Vix partem ex multis caneremus laudibus unam  
Nam pietate, fide, multas hac urbe puellas  
Astra velut nitido Sol vincit in axe minora.  
Quam non fucus iners, lascivaque gaudia mundi  
Effecere levem, placidam ceu ductus honesti.

Gratulor ergo tibi sincero cordis amore  
O Schlegere, tuos talem nunc, auspice Christo,  
Currere in amplexus, felici sydere sponsam.  
Gratulor et sponsae, talem quod adepta maritum  
Gestiat, ex quo sit seros visura nepotes.

Vivite quos Christo, superisque ita vivere visum est  
Aeternos sine nube dies. Vos gratia foelix,  
Et pax alma dies servet comitata perennes.  
Exulet a vestris nunquam Concordia lectis,  
Sed sibi durantem figat per pectora sedem.

Vivite turturibus similes, numerateque laeti  
Anna Sybillinos, Daniel sed Nestoris annos.

## 7.

## Aliud.

Densa velut tenero complectitur ulmus amore  
Pampineam, stabili atque aeterno foedere vitem.  
Cuius onus miserata subit relevatque ferendo,  
Quamque colit constans quovis discriminè rerum:  
Seu Ver purpureum per prata virentia sese  
Ostentet: vel apes tepidum populentur Hymetum.  
Herbida seu saliat campis florentibus Aestas  
Hortis vel ludat, vel messe superbiat Afra.  
Seu premat Autumnus calcatis sordidus uvis  
Musta cadis: glacialis Hyems seu cuncta pruinis  
Deformat, ventisque ferox Borealibus urat.  
Viribus exhaustam donec vertentibus annis,  
Exesamque avidis spatiisi dentibus aevi  
Amputet immidis curvanti falce colonus:  
Tunc comitis sociaeque expers deponit honorem  
Mox solitum, et prono deflectit pondere corpus.

Sic quos non Gnidii tetigere Cupidinis arcus  
Illiciti, sed castus amor, sub origine mundi  
In Paradisiacis quondam regionibus ortus  
Pectore non facti geminos sociavit amantes,  
Juraque legitimi iuvat intemerata cubilis  
Acceptare animis: adeo pax aurea, candor,  
Gratia, simplicitas, fidei ligat ardor avitae:  
Ut quoties dubiis fluxi decursibus aevi  
Terribilis rapido veniens Aquilone procella  
Ingruit, et faustum Solem inter nubila condit,  
Mutua in alterius versetur cura salutem.

Si pars una gemit, luctu aut pallescit acerbo,  
Cum furit attonito violentus corpore morbus:  
Effera vel dubiae saevit Rhamnusidis ira:  
Consilium, aut medicas praebet pars altera palmas.  
Uni quae gravis est, ita pondere sarcina dempto  
Fit levior, siforte humeris sit gesta duobus.

Adde, quod haec perpes teneat constantia, mentes  
 Quas socialis Hymen flammis accendit honestis,  
 Esse nefas thalami sociam liquisse fidelem:  
 Inque vicem virtutis opus, sic mutua vitae  
 Stamina, continuo traducere molliter aevo,  
 Ipse Deus donec nexos dissolverit artus.  
 Vos hinc faelices, quibus haec sententia surgit,  
 Degere lege thori posthac sine crimine vitam  
 O sponsi: Non hos vanissima numina quondam  
 Foeda Cypris, Cypriusque puer, qui subdola tela  
 Cordibus intorquet, vobis iniecit amores,  
 Almo sed rapidum qui pollice versat Olympum.  
 Gratulor ergo tibi faciles Schlegere Hymenaeos,  
 Hisque simul sperata precor tranquillaque fata:  
 Quaque tuos nunc Anna thoros optata Maria  
 Ingreditur, prudens, claro sata stemmate, pulchra,  
 Casta, decens, mitis, roseo suffusa colore,  
 Phoenicis tecum claudat foeliciter annos.  
 Qualis erat custos socii Lucretia lecti,  
 Ante trucis quam passa fuit in criminis Regis:  
 Qualis et ambustas avido bibit ore favillas,  
 Portia Romuleae laus insuperabilis urbis;  
 Talis in amplexus, radians Schlegere, marita  
 Vertitur Anna tuos, sed longe dispare fato.  
 Ludite securi, geniali Iudite voto,  
 Blandula roscidulis et figite basia labris.  
 Nullus vos livor, nec turbida vexet Erynnis,  
 Gaudia sed maneant non emorientia sanos.  
 Edite foecundi suavissima pignora lecti  
 Vestra secuturis transcribite nomina lustris.  
 Vive tua Daniel cum compare, vive, Maria,  
 Incolumisque annos facundi vince Platonis.  
 Vive thori consors Danielis facta Maria,  
 Longaque fatidicae simul exige tempora vatis.  
 Vivite blandidulo iunctissima pectora lecto,  
 Ambiat et niveis thalamum pax candida pennis.

Excusum typis Stephani Creüzer  
 anno MDLXXXIV.

## 8.

In natalem Heliae Stanzelii Philosophiae Baccalaurei  
 et Bursae Agni provisoris communitatis nomine facta  
 Genethlia.

Phoebus ut extremos cursu delatus in orbes  
 Tyndaridum (peperit quos Rosa Laeta) fuit,  
 Illa dies micuit, tenerae primordia vitae  
 Qua tibi pacifico Christus amore dedit  
 Nomen et Heliae Thesbaeo a sanguine vatis,  
 Gloria cui nullo est emoritura die.  
 Haec nitido surgens solito rutilantior ortu,  
 Laetitiae suasit munia digna sacrae.  
 Assensum praebet lectissima turba Dearum,  
 Quae colit Agninae tecta vetusta domus.  
 Insuper assentit Musis addicta Juventus,  
 Votaque cum Nymphis uberiora facit.

Exundant igitur plausu, geminataque luctu  
 Gaudia discusso vocibus accumulant.  
 Carminibusque novis nunc alta silentia rumpunt,  
 Qualia pro meritis postulat haecce dies.  
 Exoptantque bonis vitae successibus almae,  
 Sic tibi natalem hunc ire redire diu,  
 Improba non unquam te quo Rhamnusidis ira,  
 Nullus vel vortex insidiantis agat.  
 Sic sic decurrat totius factio vitae,  
 Ut ducas columis stamina longa. Vale.

Excusit Stephanus Creüzer  
 anno 1583.

## 9.

*In honorem religiosi ac devoti viri Christophori Prozelco,  
 cum in monasterio Hörzogburgensi sacro habitu indueretur.*

Cura nimis mentes multorum sauciatur ingens,  
 Heroum insignes titulos vaenarier, atque  
 Regales ut opes cumulent, quas divite plena  
 India Mennoniis fundit sub partibus auro.  
 Sic quoque lascivos alii sectantur amores,  
 Thuraque Thysigeri ponunt altaribus uidi.  
 Officiis at plena dolis hunc implicat Aula,  
 Plenus et ancipitis Mavors discriminis illum  
 Horrida in arma ciet, dehinc funere mergit acerbo.  
 Obscurum pariter studia in contraria vulgus  
 Rumpit difficiles animos, agitataque sensa.  
 Usque adeo terris dubia nil fit sine mente  
 Sed tu res mundi caecas, et ludicra temnens  
 Praemia soteris tacita ratione volutans  
 Reddita bissenae Christi turbae inclyta verba:  
 Orbis erit, nostri pius assecla, turbidus hostis:  
 Zodiacum vitae tristem, quo laetior inde  
 Eligis, extaret coelis sine fine beatis.  
 Ludis et instabiles terrarum provide casus.  
 Curre modo, quod carpis iter. Sic munere functi  
 Occupet aethereas animus post funera sedes.

## 10.

*Ad sacrae Caes. Majest. Sacellatum, cum illi ab aulico  
 quodam aliquot numeri saltatorii recens eddi dedicarentur.*

Hos placido vultu modulos tibi sume canoros,  
 Addite Caesareo vir venerande choro:  
 Saepe quibus Charites choreas et Oreades urgent.  
 Et salit Aeoniis casta Thalia jugis.  
 Nec non Boiorum radians Guilhelmus in oris  
 Princeps, in saltus solvitur ipse leves.  
 Donum si spectes tenue est, si expenderis autem  
 Hunc animum, magni muneris instar erunt.

11.

*Octostichon in coronatione M. Thomae Capeller, harmonice per eius fratrem redditum.*

Dum tibi regificis formosus Apollo triumphis  
Jura Magisterii, frater amande, tulit:  
Haece novem coetu Pallas bene cincta sororum  
Unanimi fertur vota deditse sono.  
Vivito, Thespiadum quem sio per amoena vagari  
Arva juvat, molles nec sine laude dies.  
Quae nunc fama viget studio quae sita perenni  
Arbitrio perpes floreat usque Jovis.

12.

*Ad Wolfgangum Püdler, imagini illi a me donatae, inscripta.*

Haec dona quamvis sint leviuscula  
Nec facta docti Praxitelis manu:  
Coive Apellis picta Marte  
Altera pars animae o Püdlere:  
Candore mentis percipier sacro  
(Nam tale dictant foedera Thesei:)  
Praesens ut extet fama nostri  
Pectoris insita maior antris,  
Foeliciter quem vivere sospitem  
Votis laccesso coelica numina  
Ut artibus clarum suprema  
Mathusalae videam senecta.

13.

*In natalem reverendi Patris Georgii Karstner, Praepositi Dorotheanei.*

Postquam clarus equos spacio cardine Titan  
Caesarem promens nitidam, vultusque decoros  
Laxet, et ingenti terras splendore salutet;  
O canis reverende senex et moribus idem  
Culte sacris, ima quemque o tellure revulsum  
Candida sidereo Virtus locat aetheris axe:  
Exere jam laetos casto sub pectore plausus,  
Ipseque, qui vitam dederat, grateris honori,  
Annuia cum positis fument altaria donis  
Templaque dent lepidos Nabathaei thuris odores.  
Horrificis erepte malis, tot casibus atque  
Quos metu instabili crebro Rhamnusis amara  
Eumenis ac discors dominans mortalibus aegris,  
Atque crient furiae: rursus cum numine Divum  
Corpore sat valido, vegetis ac viribus usque,  
Tempora sideribus gaudens venientia laetis  
Quae tibi nascenti primae incunabula vitae  
Aspicis, attulerant, oculisque senilibus hauris.  
Et precor (o nostris succedant omnia votis)

Viribus haec longum videoas redeuntia firmis.  
Tristia Lanificae en mutant decreta sorores.  
Seque parant faciles, ac mollia stamina faustis  
Cursibus extendunt, et fila tenacia nectunt.  
Adde quod in tumidum qui tela Georgius hydram  
Torquet, honorifico cuius tu nomine gaudes,  
Quicquid in ambiguum poterit contingere sortem  
Ominis infasti, sacro munimine tollet.  
Hic moderatorem rapidi exorabit Olympi,  
Ut quandam foetum tot te Virtutibus almis,  
Quando gravis debiles Lachesis truncaverit artus,  
Spiritus aetherea coelorum sede potitus  
Regnet, et aeternas cum Christo captet honores.

14.

*Epigramma Tullianum.*

Thaide peioris propter mendacia scorti,  
Cuius erat toto cognita fama foro,  
Claudimus innocui tenebroso limine tetri  
Carceris, exemit tertia nosque dies.  
Sic petimus vexent mendacis crimina linguae  
Ut merita est, orci turba timenda nigri.

15.

*In natalem domini Marci Schwarz, civis Viennensis.*

**M**undi per duodena vehens Sol igneus astra  
**A**lipedes auratus equos, nova gaudia, postquam  
**R**oranti Oceano exoriens caput extulit udum,  
**C**oepit ab insueta late diffundere luce.  
**U**Nde Viennenses fusi longo ordine Patres  
**S**axeae morbosae visunt penetralia pubis,  
**S**cilicet altiloqui memorant praeconia Marci  
**C**laraque devotis retractant gesta cothurnis.  
**H**orum ego permistus numero, solennia summo  
**V**ota fero patri geminas ad sidera palmas  
**V**olvens: ut cuius sanctis natalibus ultro  
**A**rdua thure calent hodie dolubra Sabaeo:  
**R**obore Virtutis firmo circumfluus aequae  
**T**errifico insanae devicto turbine sortis  
**Z**odiacum volucris vitae sic dirigat omnem,  
**I**nvida Tisiphone fixis ne hunc sedibus unquam  
**V**ortice vel demens rapido Fortuna revellat.  
**S**ic tibi fata levi faveant properantia cursu,  
**C**onsimiles sine nube dies ut saepe reducat  
**V**italem rutila qui lampade verrit Olympum.

16.

*In primitias militis, Christi militiam ingressi, Georgii Nidii etc.*

Martis alumnus eras quandam praestantibus ausis  
Militiae durum rite secutus iter.  
Saepius oppositas, lituo clangente phalanges,  
Rumpere cum socio milite dulce fuit.  
Mille tibi superata feri discrimina belli,

Dum forti magnus pectore fervor erat,  
Postmodo pertaesus caeci certamina niundi,  
Quae vindicta ferox, iraque saeva ciet.  
Signa salutiferi sectatus es aurea Christi  
Armaque mortali non superanda manu.  
Ante quidem clarae retulisti praemia laudis,  
Hostiles inter, Marte furente, minas:  
At magis illustris splendescis honore trophaei,  
Vincis, et invictum quod fuit ante tibi.  
Orbis opes, carnisque luem, rabiemque cruentis  
Daemonis, et mundi caetera monstra teris.  
Quam bene dextra vagae cessit mutatio sortis.  
O quantum peperit tessera sacra decus.  
Nobilis haec cunctas superat victoria palmas.  
Hac sine nulla viret gloria, nulla salus.  
Cedite laurigeri, ludibria vana, triumphi  
Roma quibus quondam sustulit alta caput.  
Marcescant hederae, lauri, cedri que fugaces,  
At Christi semper viva corona nitet.  
Hanc si promeruit vix per proelia Christi  
Perque cruces varias, difficilesque vias.  
Aeternis laetus spoliis super astra micabit,  
Et sine fine virens coelica sarta geret.  
Cumque novus celebres iam mystica sacra sacerdos,  
Et ritu veteri verba verenda sones:  
Laetor, et haec tenui gratantia carmina cultu  
Offero primitiis, vir venerande, tuis.

17.

*Epigramma.*

Dum novus immenso splendesceret annus in orbe  
Praecipitique sacrum spargeret axe iubar,  
Aeonidum grex forte cavis egressus ab antris,  
Concinuit placidis talia verba sonis:  
Ardua soligenae Phoenicis transige lustra  
Nomina qui nigri Marce coloris amas.  
Qui tibi nunc columi foelix quoque contigit annus  
Saecula Hamadryadum currat ad usque. Vale.

18.

*In honorem Annae Mariae, Joannis Aver. Sac. Caes. Regiaeque Majestatis Interpretis filiolae, cum sacro fonte perlueretur.<sup>1)</sup>*

**A**nna, q**V**ibus **rEfeRAm** surgent**I**s **iN**itia vit**A**e  
**N**ovib**V**s? Quibus **Im**positum tibi **nV**mine nome**N**  
**N**obile syd**E**re*eo* per **R**omam **R**ebus? mihi (cum) —\*) **N**  
**A**rdua Parnasi **sINT** cult**A** labor**I**bus arv — **A**

<sup>1)</sup> Velike črke v tej pesmici imajo poseben pomen, vendar pa jih v tisku ni lahko tako razpostaviti, da bi bilo razpregleeno. Čita se trikrat „Anna Maria“ in štirikrat „Averin.“

<sup>2)</sup> Je odrezano in se torej ne more brati.

**M**ole sub hac div **INo MUNere** nacta salute — **M**  
**A**lbo sancto**R**um soci**ARIS** parva puell — **A**  
**R**ore ut perlu**E**ris sacro **N**ec dese**RE** robu — **R**  
**I**stud **jV**stitiae quo **N**unc es praedita: sed **V—I**  
**A**ltito**N**ant**I**s Ch**R**isti hoc **A**eth**E**ra pro**V**ehe ad alt — **A**.

19.

*In natalem prudentissimi viri Domini Stephani Streini, Caesarei in Austria oppidi Medling judicis aequissimi etc.*

**S**ume hilares vultus, quales pulcherrima poscunt,  
**T**empora natalis, vir memorande, tui.  
**E**cce per immensum fundens sua lumina mundum  
**P**hoebus, et alatis graviter ortus equis  
**H**anc retulit lucem, tibi qua primordia vitae  
**A**ethereus magno Christus amore dedit.  
**N**omen et eximium pictisque nitentius astris,  
**V**vida quo poterit laurus habere decus.  
**S**cilicet Aonia circum cava tempora lauro  
**S**eptus es. Hinc Stephani, candide, nomen habes.  
**T**alia quandoquidem virtute fideque probatos  
**R**ite decet meritis, nomina ferre, viros.  
**E**rgo iure tuo genitali grator honori,  
**I**n mea sollicitas et voco vota Deas.  
**N**obile cum natis et conjugi Nestoris aevum  
**N**on sine vivaci transige laude. Vale.

20.

*Applausus heroicus nobili et egregio viro Domino Andreeae Reschio, Caes. Majestati a Fisci aulici rationibus, cum ad novum officium eveheretur, gratulatorie scriptus.*

Quis te praestanti gravidum virtute, sub ipso  
Pondere curarum tanto, magna que laborum  
Mole fatigatum, nullaque gravedine duri  
Victum operis; meritum sudoris praemia tanti,  
Amplaque masculeae sic dona capessere mentis  
Miretur tacitus? Virtus cum vendicet aequa  
Hocce sibi, emeritos ac iure exposcat honores?

Scilicet est humili quae nescia serpere terra,  
Alta petit, nec fixa manet, nisi vertice summo.  
Hinc proprio cernens tete munime septum,  
Egregium decus ostentans; per inhospita saxa  
Tendere iter, fixos nequicquam inflectere gressus,  
Officii, ut par est, satis alto culmine sistit.  
Altius et sistet Dii voto robora subdant,  
Ut te Romulei quondam sit Caesaris aula  
Nomine consilii claro visura decorum.  
Utere sideribus, Reschi, tibi sorte, serenis  
Arridente nova, dum se perniciibus alis  
Erigit, et niveo late fulgore coruscat.  
Hoc decus officii nota virtute paratum  
Auspicio eveniat, medio labenteque cursu,  
Extremo pariter (Dii faxint) fine secundum.

(Nadaljevanje.)

**V**sebina, *Libellus poematum sive carminum variorum generum Thome Chrönn Labacensis Carniolani LL. Candidati.*